Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35272
Copyright: Innsbruck, Prämonstratenser-Chorherrenstift Wilten



Et cessauit gladius coram eis. Et habitauit ionathas in machmas. Et cepit ionathas ibi iudicare filios israel et exterminauit impios de israel.

Anno centesimo sexagesimo ascendit alexander antiochi filius qui cognominatus est nobilis et occupauit ptholomaidem et receperunt eum. Et regnauit illic. Et audiuit demetrius rex et congregauit exercitum valde ut pugnaret cum eo. Misit demetrius ad ionathan epistolam verbis pacificis ut magnificaret eum. Dixit enim: Anticipemus facere pacem cum eo priusquam faciat cum alexandro adiuuabit nos. Recordabitur enim omnium malorum quae fecimus in eum et in fratres eius et in gentem eius. Et dedit ei potestatem congregandi exercitum et fabricare arma et esse hostem socius eius et obsides qui erant in arce misit tradi ei. Et venit ionathas in hierusalem et legit epistolas in auditu omnis populi et eorum qui in arce erant et timuerunt timore magno quia audierunt quod dedit ei rex potestatem congregandi exercitum et tradidit ei ionathae obsides et reddidit eos parentibus suis. Et habitauit ionathas in hierusalem et cepit aedificare et innouare ciuitatem. Et dixit facientibus opera ut exstruerent muros et montem sion in circuitu lapidibus quadratis ad munitionem et ita fecerunt. Et fugerunt alienigenae qui erant in munitionibus quas aedificauerat bacchides. Et reliquit omnis qui erat in loco suo et abiit in terram suam. Tantum in bethsura remanserunt aliqui eorum qui reliquerant legem et praecepta dei. Erat enim ibi locus ad refugium. Et audiuit alexander rex promissa quae promisit demetrius ionathae et narrauerunt ei proelia et virtutes quas fecit ipse et fratres eius et labores quos laborauerunt et ait: Aliquid inuenimus aliquem virum talem. Et nunc faciamus eum amicum et socium nostrum. Et scripsit epistolam et misit eis secundum haec verba dicens: Rex alexander fratri ionathae salutem. Audiuimus de te quod vir potens virtutibus es et aptus es ut sis amicus noster. Et nunc constituimus te hodie sumum sacerdotem gentis tuae et ut amicus vocaris regis. Et misit tibi purpuram et coronam auream ut quae nostra sunt sentias et consentias amicitiae ad nos. Et induit se ionathas stolam sanctam septimo mense anno centesimo sexagesimo in die sollemnitatis scenophegiae. Et congregauit exercitum et fecit arma copiosa. Et audiuit demetrius verba ista et contristatus nimis et ait: Quid hoc fecimus quod praeuenit nos alexander apprehendere amicitiam iudaeorum ad munitionem suam? Et iam et ego illi verba deprecatoria et dignitates et dona ut sit mecum in adiutorio. Et scripsit huiusmodi verba: Rex demetrius gentis iudaeorum salutem. Quoniam seruastis ad nos pactum